



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 4. Cisterciensis Ordo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

§. IV.

Ordo Cisterciensis.

Post ducentos annos a condito Cluniacensi cœnobio suscitati a Deo alii Viri magni primitivum Benedictinæ regulæ vigorem restituerunt, scilicet Authores Ordinis Cisterciensis, præsertim S. Bernardus, quem sui seculi miraculum censeo. Videbatur fuisse Deo complacitum in eo solo conjungere omnia naturæ & gratiæ præsidia, nobilitatem, virtutem parentum, pulchritudinem corporis, animi perfectiones, ingenium acutum & perspicax, judicium subtile ac solidum, generosam indolem, excelsas cogitationes, fortitudinem non vincendam, voluntatem rectam, & constantem. Adde his naturæ dotibus probam educationem, litterarum studia, quam tum collocari poterant, optima, seu artes ac scientias humanas, seu religionem spectes, divini codicis meditationem continuam, creberrimam lectionem Patrum,

Hif. l. 64.

S. 64.

l. 66. S. 21.

trum, eloquentiam vividam & nervosam, dicendi formam revera ornatam nimium, sed illius seculi genio accommodatam. Adjunge effectus gratiæ, demissionem profundam, charitatem nullis terminis circumscriptam, flagrans honoris divini studium, denique facultatem edendi opera humanis majora viribus.

Fatendum tamen eum non temperasse satis fervori suo in iis, quæ ad valetudinem attinebant: hanc enim nimia inclementia celeriter afflixit: & vidimus, quæ illius cura suscipienda fuerit illustri amico suo Guilielmo Camposio. Facio pluris Ægyptios, cæterosque Monachos antiquos, qui afflictationes corporis tam bene aptare sanitati noverant, ut multi centum fere annos viverent.

Hist. l. 6r.

§. 24. 43.

§. V.

Fratres laici.

Sanctus Bernardus admodum amabat laborem manuum apud Cister-

B 2

ster-